

haberi ajunt &c. Sic maritus & uxor in Sacris interdum vocantur, ubi sponsalia tantum intercesserunt, ut Matth. I. 16. Genes. xxix. 21. Et simile in usu fuit aliis gentibus, unde Servius ad Virg. Eclog. 8. *Conjugis*, inquit, *quæ non erat, sed fore sperabatur &c.*

16. Affectus nos multò magis ferunt in futuri, quàm in præsentis vel præteriti considerationem, Passion. art. 57. Et ea ad quæ potissimum adspiramus futura sunt, non enim post, sed ante nos æternitatem habemus. Et cupiditas affectuum efficacissimus. Et ratio inde petitur, cur juvenes pluribus & vehementioribus affectibus sint obnoxii.

## EXERCITATIO LXXII.

*Cur vitia quædam non valde frequentia pro virtutibus soleant haberi.*

I. Cùm in humanis actionibus virtutem à vitio, honestum à turpi distingue oporteat diligenterque cavere, ne unum pro altero sumatur, contrarium autem sæpe fiat in vita quotidiana, non sine ratione hæc quæstio proponitur.

2. Ad